Caput III.

Tacit. dialog. de or. 10.

'Nec excusatur offensa necessitudine officii aut fide advocationis aut fortuitae et subitae dictionis impetu: meditatus videris ultro elegisse personam notabilem et cum auctoritate dicturam. Sentio, quid responderi possit: hinc ingentis existere assensus, haec in ipsis auditoriis praecipue laudari et mox omnium sermonibus ferri. Tolle igitur quietis et securitatis excusationem, cum tibi sumas adversarium superiorem.' Tacitus.

Totam enuntiationem 'hinc—ferri' delendam censuit Bernhardyus. Quae sententia cohaeret cum alia quaestione, quam movit F. A. Wolfius. Hic enim, cum conexum huic loco deesse intellegeret, post 'ferri' lacunam statuendam esse existimabat. Nam quae sequuntur ita scripta esse recte monuit Doederleinius, ut non quae adversarii dicant, sed quibus refutentur, proxime praecedere putes. Ac vere interpretatione haec offensio tolli non videtur posse. Statuenda igitur aut cum Bernhardyo ampla interpolatio aut cum Wolfio lacuna. Et recte de Bernhardyi sententia disputavit Andresenius. Nihil desideramus, si deest illud enuntiatum, immo artissime haec inter se cohaerent: 'nec excusatur — superiorem'. Sed adeo esset temeraria haec interpolatio, ut statuere eam nescio an sit temerarium. Quare plerique fortasse de lacuna brevi cogitare malent, quam, sensum si spectamus, sic fere cum Andresenio apte explebimus: 'sed eo facilius ad aures principis permanabunt'. — Quamquam liceat mihi aliam etiam viam monstrare, qua fortasse haec difficultas solvi possit, et ita solvi, ut emendatione locum sanemus. Cogitationem enim, qua refellantur ea, quae Aper Maternum respondentem facit, invenire possumus in verbis: 'et mox omnium sermonibus ferri'. Accurate teneamus, quomodo argumentatio procedat. 'Tolle igitur quietis et securitatis excusationem' Aper dicit. Causam, qua illam excusationem redarguerit, desideramus. Sed haec ipsa nonne pro causa habenda est, quod 'omnium mox sermonibus feruntur illa'? Non ab omnibus enim laudantur illa, quae in auditoriis laudari Maternus dicere potest, atque sic cum in omnium ora abierint, eos offendunt, qui talia non amant et nimirum ad principem quoque perveniunt. Jam sane securitas est nulla. Itaque verba 'et — ferri' argumentum non Materni sed Apri videntur esse, atque id argumentum, quo Aper illud refellit quod ille respondit vel potuit respondere. Atque apte sic argumentationem procedere hoc quidem nemo potest negare;

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quaeritur num Taciti sit argumentatio. Quod si statuimus, mutanda sane sunt quodammodo illa verba, ac potest sic fere res institui, ut 'et' ex 'at' corruptum putemus; dein cum extiterit 'et', corrigi debuit 'ferri' ex genuino 'feruntur'.

Itaque postquam Maternus respondit ea in ipsis auditoriis praecipue laudari, Aper diceret: 'at mox omnium sermonibus feruntur', dialectice sic oppositionem arripiens, qua Materni responsio refellatur.

Non pro certo ipse affirmaverim veram esse emendationem meam, sed viam indicare studui emendandi, quam viam si qui ingressi erunt alii, fortasse iam non de lacuna cogitabitur atque leniore ratione locus poterit expediri. —

Tacit. dial. de or. 10.

'Ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis sonum sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem et epigrammatum lusus et quamcumque aliam speciem eloquentia habeat anteponendam ceteris aliarum artium studiis credo'.

Verba tradita 'ceteris aliarum artium' ferri non posse constat; quaeritur quomodo sint emendanda. Coniecturae virorum doctorum omnes inde proficiscuntur, quod corruptum illi 'aliarum' putant. Corruptum esse 'ceteris' nemodum cogitavit.

Attamen 'aliarum' per se impugnandum non est, cum optime eloquentiae studiis opponantur aliarum artium studia.

Itaque corruptelam potius in verbo 'ceteris' latere puto atque hoc coniectura sanandum esse. Est igitur conexus sententiarum accurate respiciendus, quem ita fere describendum puto: concedit Aper aliquid Materno, significat se non omnino spernere artem poeticam, quae ipsa pars sit eloquentiae. Sed hoc interesse inter se et poetam ('ego vero' sqq): vos, poetae, unam partem eius artis, quae nomine eloquentiae latissime patet, amplexi tam excelsam eam putatis, ut omnes reliquas partes omnino non veniant in censum; ego item unam quam amplexus ego sum reliquis excelsiorem puto, nec tamen ut vos illas partes humiles puto esse; immo, si eloquentiam cum aliis artibus comparamus, omnia illa his excelsiora puto, at omnia.

Sic orator poetae sane concedit aliquid, cum etiam poeseos omnia genera illis anteponenda esse dicat: aliarum artium studiis certe haec anteponenda sunt, non sunt, ex Apri sententia, forensi eloquentiae. Hoc tenendum est atque hoc subaudimus, si scribimus 'anteponendam certe aliarum artium studiis'.

Adverbium 'certe' cum partem sententiae firmet, universam quodammodo restringit, et apte restringit; prorsus eodem modo vernacula lingua verbo 'allerdings' utimur, quod ex illo usu iam semper vim restrictivam obtinuit. Coniectura sat lenis est, nam facile fieri potuit, ut si 'certe' aliquo modo corruptum erat, pro compendio haberetur atque 'ceteris' inde eliceretur.

Adicio statim alium locum, qui nescio an eadem ratione sit emendandus:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Liv. XXI, 32, 7:

'Tum, quamquam fama prius, qua incerta in maius vero ferri solent, praecepta res erat, tamen ex propinquo visa montium altitudo nivesque caelo prope immixtae, tecta informia imposita rupibus, pecora iumentaque torpida frigore, homines intonsi et inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cetera visu quam dictu foediora, terrorem renovarunt'. Livius.

In verbo 'cetera' post ea quae antecedunt interpretes iure offenderunt; nam quas Livius ceteras res in animo habuerit minime est perspicuum. Immo expectamus, ut illo enuntiati membro omnia quae antea sint enumerata comprehendantur. Quod ut statuamus adducimur eo, quod de omnibus sane illis rebus valet illud 'visu quam dictu foediora'. Quam iustam expectationem fallit quod traditum est 'cetera', atque ita fallit, ut sanus sensus servata scriptura tradita vix possit agnosci. Itaque non recte se habere videtur illud ipsum 'cetera', quod hoc loco item ex 'certe' puto corruptum esse. 'Certe' optime sane explet sensum quem desideramus, cum iam illud Livi iudicium omnia contingat quae enumeravit, maxime vero quae proxime antecedunt. Fortasse etiam 'certe omnia' corrigendum, ut 'omnia' aut lateat in corruptela aut locum mutaverit. Lenissime emendaretur 'certe ea', quod ut ferri potest, ita minus fortasse placebit. De hoc igitur varie poterit iudicari: 'certe' autem quin sit coniectura restituendum, satis mihi est certum. —

Liv. XXI, 42, 2:

'Cum ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent, et deiecta in id [1]) sors esset, se quisque eum optabat, quem fortuna in id [1]) certamen legeret, et ut [2]) cuiusque sors exciderat, alacer inter gratulantes gaudio exsultans cum sui moris tripudiis arma raptim capiebat.'

Quinquies tibi respondetur, si quaeris, quomodo arma ceperit, qui certamen esset sortitus: capiebat alacer, capiebat inter gratulantes, capiebat gaudio exsultans, capiebat cum sui moris tripudiis, capiebat raptim — hoc qui dixerit nimis esse, nimius ipse vix videbitur. Dico equidem, neque puto verba ita comparata Liviana esse. Sed fac aliquem in molesta illa verborum conglobatione non offendere, quamquam quomodo defendat non video: praesto est aliud, quod suspicionem mihi moveat de illis verbis sane per se ipsa suspectis. Sicut enim traditum est, verba 'cum sui moris tripudiis', sive cum 'gaudio exsultans' sive cum 'capiebat' coniungimus, ad unum illum sunt referenda, qui certamen sortitus est. Quod bene fieri equidem negaverim. An vere putamus eum ipsum 'cum tripudiis' arma cepisse, praesertim cum 'raptim' caperet? Immo verisimilius videtur commilitones gratulationem suam 'cum tripudiis' obtulisse, ad quos nimirum captis ille armis sese adiunxit. Itaque verba 'cum sui moris tripudiis' potius cum verbis 'inter gratulantes' videntur coniungenda esse. Quod cum fieri non possit interiecto 'gaudio exsultans' in his ipsis verbis additamentum deprendisse mihi videor, quod huius loci et sensum et formam pessumdet. Atque deletis verbis 'gaudio exsultans' non solum sublata

[1]) Num altero loco 'in id' spurium?
[2]) 'ut' additum ex Vallae coniectura.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est quam exposui offensio, sed etiam priorem, a qua profectus locum in suspicionem vocavi, optime videmus expeditam esse. Nam cum quinque attributa ad 'capiebat' molesta fuerint, deleto uno non ad quatuor sed ad tria rem videmus redactam, cum duo illa 'inter gratulantes' et 'cum sui moris tripudiis' iam in unum coalescant, ut bene se habeat enuntiatum sic recte, puto, restitutum: 'alacer inter gratulantes cum sui moris tripudiis arma raptim capiebat'. — Qui interpolavit, aut 'alacer' voluit explicare aut 'cum sui moris tripudiis', quod falso retulit ad ea quae sequuntur. —

Liv. XXI, 48, 5 sq.:

'. . . . turbasset utique novissimum agmen, ni aviditate praedae in vacua Romana castra Numidae devertissent. Ibi dum perscrutantes loca omnia castrorum nullo satis digno morae pretio tempus terunt, emissus hostis est de manibus . . . .'

'Castrorum' an ineptum interpretamentum sit interpolatoris dubito. Non enim superfluum solum quam maxime est, sed tolerari vix potest, cum proxime antecedat 'Romana castra' et 'ibi'. Quare inducendum mihi videtur.

Liv. XXI, 53, 2:

'restitutos ac refectos militum animos, nec quemquam esse praeter collegam, qui dilatam dimicationem vellet: eum animo magis quam corpore aegrum memoria vulneris aciem ac tela horrere'.

Verba 'memoria vulneris' adeo non cadunt in Sempronii consulis orationem, ut contra pravam omnino efficiant sententiam. Quid enim est, quod collegae Sempronius opprobrio dat? Ignavum eum esse, ignavia — hanc nempe significat cum animo aegrum eum esse dicat — eum impediri quominus pugnet, non corporis aegritudine, scil. vulnere. Atque haec quidem quae recte se habet oppositio prorsus turbatur addito 'memoria vulneris'. His enim verbis ignaviae crimen, quod inesse in verbis 'animo aegrum' patet, pervertitur, cum ubi de vulnere non agitur, tamen de vulnere cogitare cogamur. Ignavia, non vulnus, vitium est consulis, Sempronium si audis; at 'memoria vulneris' horret aciem ac tela, si audis — interpolatorem. Huius enim minime dubito quin sint glossema illa verba, quibus falso intellegens animi aegritudinem voluit explicare.[1]) Atque adeo videtur perspicua haec mihi argumentatio, ut vix putem addendum verba illa, etiam structuram si spectas, qua acris exhibetur oppositio paucorum verborum, esse offensioni. —

[1]) Cum enim in utroque membro de vulnere agi existimaret ac putaret Sempronium dicere Scipionis vulnus magis animi quam corporis esse vulnus, quia cogitatione in maius ferret, quam re vera esset, vel simpliciter de eo semper cogitaret, explicavit 'aegrum animo' verbis additis 'memoria vulneris'. Quae re vera insit in Sempronii verbis oppositio — ignavia, non vulnus — non vidit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Liv. XXII, 32, 8:

'Gratum sibi patres Romanos populumque facturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent, dignosque iudicaverint, ab quibus donum, animo ac voluntate eorum, qui libentes darent, quam re maius ampliusque, acciperent.'

Nonne spurium 'libentes'? Continet explicationem, cur magnum amplumque sit donum Neapolitanorum, scilicet quod libenter offerrent. Sed hoc idem elegantissime iam expressum verbis 'animo ac voluntate eorum qui darent quam re maius ampliusque'. Noluit dicere Livius: 'parvum quidem hoc donum, sed libenter damus', dixit idem illo modo exquisitius. In verbis traditis autem duo coniuncta videmus, ut et nudum verbum 'libentes' extet et eleganter circumscribatur notio illa. Quod dubito an ferri non possit neque accipiam 'qui', ut significet 'quippe qui', cum antecedat 'eorum', si quis hac ratione traditam scripturam defendere velit. Itaque pueris adscriptum videtur illud 'libentes'; quo deleto non solum offensio est sublata, sed magis etiam conveniunt verba venustae cuidam modestiae, qua omnino haec videmus prolata.

Liv. XXII, 46, 4:

'Afros Romanam magna ex parte crederes aciem: ita armati erant armis et ad Trebiam ceterum magna ex parte ad Trasumennum captis'.

'Magna ex parte' in priorem locum errore librarii videtur irrepsisse ex posteriore, a quo unius fere versus spatio distat. Priore loco aptum non est; nam speciem Romanae aciei Afri aut praebent aut non praebent, aliquam partem praebere inepte diceretur, neque profecto, si partem similitudinis Livius significare voluisset, usus esset verbis: 'aciem Romanam crederes'.

Liv. XXII, 60, 14 sq.

'Si tot exempla virtutis non movent, nihil unquam movebit; si tanta clades vilem vitam non fecit, nulla faciet. Et liberi atque incolumes desiderate patriam; immo desiderate, dum patria est, dum cives eius estis'.

'Et' post 'faciet' ut ex dittographia ortum puto delendum esse.[1]) Primum enim partitio per 'et — atque' pro 'et — et', 'que — et' ('et — que') inusitata est; aliter vero ac per responsum particulae hoc loco intellegi nequeunt. Deinde infirmat vim ac vigorem orationis divisio 'et liberi atque incolumes', quae verba deleto 'et' fortius se applicant ad ea quae antecedunt. Verbo liberi' tum plus videtur ponderis tributum, verbo 'incolumes' per 'atque' adiecto nihil demptum, immo etiam eius vis aucta. Itaque multo magis videntur irae oratoris adaptata verba adhibita lenissima quam proposui emendatione, quae nulla fere est mutatio traditae scripturae. —

Addo ex Livio duos etiam locos de quibus brevissime potest dici. Quorum prior est *XXIII, 11, 8,* ubi in fine traditum legitur: 'Bruttiorum quaeque deficiebant'. Multi coniecturam relinquentes hunc locum reliquerunt, nec tamen adhuc coniectum inveni quod proxime ad litteras

[1]) non exhibet ed. Frob. 1531.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

traditas accederet: 'Bruttiorum aliorumque quae'. Atque 'aliorum' malim inserere quam cum aliis nomen proprium, quod illud facilius potuit excidere quam hoc.

Deinde *XXIII, 16, 9* cum Crevierio facio in verbis 'subsidiaque destinata impedimentis data' interpolatum esse agnoscenti, nisi quod non, ut ille voluit, vel 'destinata' vel 'data' interpolatori tribuo, sed 'data'. 'Destinatum' enim, quod inusitatius dictum est, ansam praebere sane potuit interpolandi, non potuit 'data' explicari per 'destinata'. —

Sallust. bell. Cat. 22, I sq.:

Sallustius. 'Fuere ea tempestate, qui dicerent Catilinam oratione habita cum ad iusiurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde cum post exsecrationem omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum atque eo dictitare fecisse, quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii'. — 'Dictitare', quod extat optimis in codicibus, quin sit corruptum controversia nec fuit nec erit; dissenserunt viri docti in ratione emendandi. Delevit simpliciter Sellingius, delevit 'atque eo dictitare fecisse' Ritschelius, proposuit 'atque eo dixisse eam rem fecisse' aut similiter Madvigius. Cuius coniectura mihi minus placet quam quod ipse quodammodo diffidens 'aut similiter' dixit esse emendandum. Namque videtur mihi similis sane coniectura praesto esse, quae eo fortasse magis se commendet, quod ad litteras traditas proxime accedit.

Nam si ex litteris 'dict' restituerimus 'dicunt', nihil amplius mutantes nisi quod supra 're' lineolam omissam putamus, habebimus scripturam: 'atque eo dicunt ita rem fecisse', optimam, ni fallor, sensum si spectas, lenissima mutatione effectam, quod ad traditas pertinet litteras. —

Sall. bell. Cat. 51, 19:

'De timore supervacaneum est disserere, cum praesertim diligentia clarissimi viri consulis tanta praesidia sint in armis'. — 'Consulis' puto glossema esse, quod falso in genuinorum verborum ordinem sit receptum; est supervacaneum, molestum videtur. Significantius certe Caesar Ciceronem designasset omisso consulis nomine. —

Sall. bell. Cat. 52, 35:

'Postremo, patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis: sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urguet; alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes'.

Hoc loco certissime manum interpolatoris agnoscere mihi videor neque quicquam verbis traditis addendum puto, ut voluit Linkerus[1]), immo omittenda quaedam.

[1]) 'In faucibus Etruriae agit' et 'atque in senatu' coniciens (Wiener Sitzungsber. 1854 pag. 278). Linkerum ut ita coniceret perduxit locus Ciceronis (in Cat. I, 2, 5), cuius memorem putat fuisse Sallustium. Quam opinionem, quamvis sit speciosa primo obtutu, tamen in errorem puto induxisse Linkerum atque praesumpsisse eum, quod quaereret. Nam 'in sinu' si servamus, parum accedit hic locus ad illum, qui prorsus alium praebet nexum sententiarum; accedit propius sane si mutatur 'in sinu', ut voluit Linkerus. Jam vides in circulo versari eum. Sed quod non fecit Sallustius, facere sane potuit interpolator. Qui si fuit doctus aeque ac Linkerus ipse externa specie cuiusdam similitudinis perductus illum locum Ciceronis adhibuit

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Atque primum quidem est offensioni, quod 'intra moenia' et 'in sinu urbis' inter se coniunguntur, quae membra alterum proprie, alterum per translationem eandem rem significant. Neque fulciuntur verba 'intra moenia' verbis 'cum exercitu' quibus opponi ea voluit Kritzius. Non haec enim est oppositio[1]) quae extat hoc loco, sed opponuntur inter se 'faucibus' et 'in sinu'. Atque haec ipsa oppositio pulchra imagine expressa proscribere nos iubet 'intra moenia', quibus verbis et deletur imago et debilitatur vis oppositionis. Itaque non est de Etruriae faucibus cogitandum; comparatur res publica cum homine circumvento ab hostibus, qui et extrinsecus et intrinsecus eum sunt impugnaturi: 'Catilina' enim 'cum exercitu faucibus urguet, alii in sinu sunt hostes'. Sic me iudice est scribendum; nam illud 'urbis', quod ne extat quidem in Vaticano, aperte alterum glossema est ad 'in sinu' adiectum. —

Cic. in Cat. I, 12:

'Nam si te interfici iussero, residebit in republica reliqua coniuratorum manus: sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe [tuorum comitum] magna et perniciosa sentina rei publicae'. Cicero.

Delevit 'tuorum comitum' Halmius, quem alii editores secuti sunt. Ac recte me iudice illud omiserunt, nisi quod dimidium sustulerunt interpolationis. Nam demonstrari puto posse etiam duo illa quae antecedunt verba 'ex urbe' ab interpolatore sive eodem sive alio profecta esse. Quod ut probemus, ipsum audiamus Ciceronem cuius haec est sententia verbis diserte designata: si interfectus erit Catilina, residebit reliqua coniuratorum manus; si Catilina exierit, exhaurietur magna ac perniciosa sentina. Nihil agitur hoc in conexu de urbe, agitur de re publica: res publica servata erit, si Catilina ex urbe exierit; nam, ut alio loco Cicero dicit (in Cat. II, 1), loco ille motus est, cum ex urbe est expulsus. Itaque non ex urbe exhaurietur sentina illa rei publicae, sed exhaurietur omnino. Adiecto 'ex urbe' magnopere, ni fallor, inflectitur sensus, qui satis perspicue ex verbis ipsis elucet, cum supra Cicero dixerit 'residebit in re publica coniuratorum manus' cuius contrarium continent eiusdem verba 'exhaurietur sentina reipublicae'. Rei publicae nomen exhibetur in utroque membro, fit oppositio verbis 'residebit' et 'exhaurietur'. Quae nonne lima redditur verbis 'ex urbe'? Sed facile intellectu ad 'exhaurietur' aliquem explicare studuisse, unde exhauriatur, atque neglecto conexu falsam explicationem desumpsisse ex verbis quae statim sequuntur: 'exire ex urbe'. —

Cic. in Cat. I, 33:

'Tum tu, Iuppiter, qui isdem quibus haec urbs auspiciis a Romulo[2]) es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius socios a tuis aris ceterisque

fortasse ad hunc supplendum et explicandum. Atque hac fortasse ratione Linkeri opinio aliquid valet ad expediendum hunc locum, altera, qua voluit, valere eam concedere nec ego possum nec potuerunt alii.

[1]) Sunt sane inter se opposita quodammodo 'Catilina cum exercitu urguet' et 'alii sunt hostes'. Itaque etiam deleto 'intra moenia' ea quam voluit Kritzius extat oppositio, quamquam non praecipua est hoc loco.

[2]) 'a Romulo' in dubium vocavit Tittlerus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium arcebis, et homines bonorum inimicos, hostes patriae, latrones Italiae, scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos, aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis'.

Suspecta mihi videntur in fine sollemnis huius enuntiati verba 'ac nefaria societate' ideo, quod frigent post gravissimum illud 'scelerum foedere'. Est haec exquisita, est fortis, est acerba locutio: scelerum foedere illos coniunctos esse; contrarium valet de verbis 'ac nefaria societate'. Haec enim elegantiam prioris locutionis delent, ut quae adiectivum exhibeant pro substantivo, quo ipso continetur illorum verborum elegantia. Deletur etiam quodammodo concinnitas membrorum. Atque prorsus idem hic et illic dictum [1]), modo illic exquisite, vulgariter hic. Quod cum saepe vestigium prodat interpolatoris, tum hoc loco non puto esse neglegendum, quia orator tanta ceteroquin in hoc enuntiato elatione atque altitudine usus orationis eo magis ineleganti tali repetitioni abstinuisse putandus sit. [2])

Cic. in Cat. II, 6:

'Video, cui sit Apulia attributa, quis habeat Etruriam, quis agrum Picenum, quis Gallicum, quis sibi has urbanas insidias caedis atque incendiorum depoposcerit'.

Verba 'caedis atque incendiorum' in dubium dubito an sint vocanda. Inculcare nolim, quod 'insidiae caedis atque incendiorum' fortasse bene dictum non videatur. Sed cum alia accedant, ne hoc quidem neglexerim. Offendit enim hoc magis, quod dictum est: has urbanas insidias. Atque ob concinnitatem etiam verba illa per se superflua melius abessent; onerant moleste extremum membrum enumerationis, quae ipsa nuda quadam brevitate est insignis. Denique quod extremo membro adiectum est, de caede atque incendiis agi, aeque ceteris adici potuit, cum ubique eisdem de rebus agatur. Quae cum ita sint, ac puto ita esse, verba 'caedis atque incendiorum' uncis erunt interpolatori tribuenda.[3])

Cic. in Cat. IV, 19:

'Atque haec, non ut vos, qui mihi studio paene praecurritis, excitarem, locutus sum, sed ut mea vox, quae debet esse in re publica princeps, officio functa consulari videatur'.

Nisi opinio me fallit, verbum 'consulari' non ab Cicerone scriptum sed additum est ab interpolatore, ut caecis indicaret, cur princeps esset in re publica vox Ciceronis. Quam senten-

---

[1]) omnia enim verbis 'scelerum foedere' comprehenduntur, ut de oppositione, quae insit in duobus illis membris, non recte quis cogitet.

[2]) Nonne easdem ob rationes in Cat. II, 5 verba 'ex rusticis decoctoribus' suspecta post 'ex agresti luxuria'?

[3]) Eadem fere verba fortasse interpolatori tribuenda apud Livium, XXII, 14, 4, ubi variante sane in initio scriptura legitur: 'spectatumne huc', inquit Minucius, 'ad rem fruendam oculis, sociorum caedes et incendia, venimus?' Verba 'sociorum caedes et incendia' satis sapiunt interpretamentum ad Livi verba exquisitiora 'ad rem fruendam oculis'. Divellit male enuntiationem illa appositio et infirmat ideo misere vim irritae quaestionis, qua incipit ferocem suam orationem Minucius. Atque etiam hoc animadvertendum est in eis quoque quae sequuntur enuntiatis magis ad universum eum spectare, singula, quae ad illius loci ac temporis condicionem pertinent, adferre § 8. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tiam meam ut probem, non dicam superfluum illud esse, cum 'officium' illud non possit aliter intellegi nisi 'consulare', sed licet mihi ipsius Ciceronis verbis uti. Nam cum diceret 'mea vox' (non: 'vox mea') cum praesertim adderet 'quae debet in re publica esse princeps', satis superque rem designavit, quam postea addito 'consulari' ad 'officio' diserte explicavit interpolator. Qui dempsit additamento vim genuinam vocis officii atque turbavit planam oratoris sententiam: officio se, non studio alicui parentem verba fecisse. Quod quale sit officium, cum per se patet tum aperte indicatum est et enuntiatione relativa et praemisso pronomine, cuius vim vocis contentione certe auxit orator in dicendo. Lege, quaeso, oratoris voce usus enuntiationem: pugnare prorsus senties adiectum illud 'consulari' cum verbis 'ut mea vox, quae debet in re publica esse princeps, officio functa videatur'. Sic, me iudice, haud dubitanter Ciceronis verba restituenda, atque cum oratore finiente quartam celeberrimarum orationum iam finiam ipse disputationem meam, quam in haud paucarum rerum iniquitate scripsi, ut officio functus esse videar — [magistrali]. —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf